JOSEPHI BERTOLONII M.D. ... DESCRIPTIO NOVAE SPECIEI E COLEOPLERORUM ORDINE

Giuseppe Bertoloni

Haec Dissertatio lecta fuit in convêntu Academiae Scientiarum Instituti Bononiensis habito Non. Decemb. ann. 1833.

Jam ab eo tempore, quo studio rerum naturalium operam dandam suscepi, quidquid de hac re ager Bononiensis suppeditabat, collegi, praesertim vero plantas, et insecta, ut Floram, et Faunam Bononiensem antea pene ignotas declararem. Hoc pacto insignem plantarum, et insectorum congeriem mihi comparavi, in qua praecipue eminent ea, quae aestate praeterlapsa reperi in apennino Bononiensi sito inter thermas Porrectanas, et Mutinenses fines. Nunc vos detinebo, Sodales praeclarissimi, de insectis, loquuturus de plantis alia vice. Itaque in hoc eodem apennini montis tractu contigit observare insecta quaedam, quae nullus unquam putaverat Italiae indigena, cum propria sint editiorum alpium, eaque fuerunt sane multa, quae inter eminent *Cychrus attenuatus* Fabr., *Nebria Jokischii Sturm.*, *Pterostichus Dufourii Dej.*, *Pterostichus Yvani Dej.;* etc. At quod majoris momenti habendum est, fuit insectum prorsus novum ex ordine Coleopterorum, e familia Carabicum, e tribu Simplicipedum, et e genere *Nebria*, quod, cum abdomine fulvo sit insignitum, placuit *Nebriae fulviventris* nomine vocitare. Characteres vero, quibus distinguitur, et integra descriptio ejus ita se habent.

Nebria *fulviventris*: subdepressa, nigro-picea, elytris striatis, striis punctatis, punctis quatuor, vix impressis; antennis, tarsis, abdomineque fulvis. *Tab. I.*

Reperi in apennino Bononiensi editiori in vertice *Corno alla Scala*, et in apennino Mutinensi proximo ad lacum *di Scaffaiolo;* sed incolit etiam alias Apennini partes, cum reperta fuerit in apennino Hetrusco *alla Madonna de' tre fiumi* in finibus ditionis Forocornelieusis.

Longit. 4. lin. Latitud. 1. $\frac{1}{3}$. lin.

Caput fere triangulare, in parte anteriori vix convexum, et quasi leve, rugis impressis duabus inter antennas, et impressione transversa parum apparente in parte postica exceptis. Mandibulae fulvo-fuscae, apice nigrae. Palpi, et antennae fulvae. Articuli quatuor inferiores antennarum macula nigra annulari notati, leves; reliqui pubescentes. Longitudo antennarum paulo superat longitudinem dimidiam corporis. Thorax cordatus, antice, postice, et lateraliter punctatus, in centro nitens, et oculo nudo levis, sub vitro transverse subrugosus. Linea longitudinalis media, depressiones transversae anterior, et posterior, nec non brevis depressio longitudinalis sita prope angulos posteriores satis superque apparentes sunt. Margo anterior potius excavatus, anguli anteriores subrotundati, latera depressa margine prominente, centrum paululum convexum, margo posterior truncatus, rectangularis. Scutellum triangulare, leve, magnitudinis mediocris. Elytrae simul sumptae evidenter ovales, carent omnino angulo anteriore, suntque praeterea striatae, striis etiam oculo nudo punctatis. Porcae sub microscopio Amiciano ad augmentum 90. diametr. minutissime scabrae. Puncta quatuor depressa vix distinguenda stant in porca, quae tertia est a sutura; series punctorum depressorum, itidem vix distinguendorum habetur secus marginem externum. Sub elytris rudimenta alarum, longitudine dimidii abdominis. Corpus in parte inferiore nigro-piceum, abdomine excepto, quod initio fulvo-fuscum, et gradatim dilutius fulvum in extremitate inferiore. Pedes nigro-picei, trochanteribus, articulis, extremitate tibiarum, tarsis, et spinis fulvis.

Huic speciei proximae sunt *Nebria tibialis* Dej., et *Nebria Gyllenhalii* Shneider, inter quas collocatur nostra; sed prima differt notis sequentibus. Corpus paulo majus, licet forma si-


millimum corpori *Nebriae* nostrae, superne minus convexum, nigrique coloris minus nitentis; mandibulae, palpi, antennae ferrugineae; quatuor ex articulis primis antennarum carent annulo nigro; puncta striarum elytrarum minus visibilia, dum puncta quatuor marginis striae tertiae majora, et visibiliora; corpus subtus totum nigrum non exceptis trocanteribus; crura brunneo-nigra; tibiae, et tarsi ferruginei . Altera differt hisce notis. Animal paulo majus, coloris nigri, superne valde', inferme minus nitentis, caput paulo latius, mandibulae, palpi, antennae bruneo-nigrescentes, thorax minus evidenter cordatus, latior, et minus protractus in parte postica, anguli anteriores acutiores, elytrae antice angulo fere recto evidenter instructae, magis parallelae inter se, puncta in earum striis minus extantia, et sub lente tantum visibilia, porcarum scabrities grossior, puncta, quae sunt secus marginem striae tertiae, et secus marginem externum elytrarum semper evidentiora, pedęs nigri, trocanteribus, tarsis, et spinis brunneo-rufescentibus.

De novitate hujus speciei certissimum me quoque fecerunt Entomologi plures, ad quos misi, et inter caeteros eximius Comes Carolus Bassius Entomologorum Insubriae facile primus.

Haec species, veluti reliquae ejusdem generis, habitat sub saxis secus rivulos alpinos aquae frigidae, vel prope nivem deliquescentem. Mense Julio jam evoluta erat. In eisdem locis, ubi haec mihi occurrit, *Nebria tibialis*, et *Nebria Gyllenhalii* omnino non erant, quae comunissimae in alpibus. Reperi cum nostra licet raro *Nebriam Jokischii* Sturm., frequentissimam vero *Nebriam brevicollem* Gyll. et *Nebriam Dahlii Sturm.*, quibuscum si comprehendatur *Nebria psamodes* Bonell., quae apud nos inhabitat rivulos collium humiliorum, habemus in agro Bononiensi species quinque probe distinctas ad unum *Nebriae* genus pertinentes.

Explicatio tabulae.

Fig. 1. Exhibet insectum magnitudine naturali.
Fig. 2. Exhibet insectum magnitudine auctum.



Nebria fulviventris Ber: fil:

C. Bellow ad nat et in lap. del

Lit.° Zanetti